(18) - 2

locutus videaris. quod has quattuor coniunctiones etiam verba esse non negas.
Ut ideo de his recte dici potuerit haec omnia. quoniam recte dicitur haec verba
omnia. si autem a me quaeras quae sit pars orationis verba. nihil aliud responde
bo quam nomen. Quare huic nomini fortasse pronomen adiunctum est. ut illa recta
te esset locutio tua. Aug. Acute quidem fallerer. sed ut fallere desinas acu
tius attende quod dicam. si tamen dicere ut volo valuero. Nam verbis de verbis — tba
agere tam implicatum est quam digitos digitis inserere et confricare ubi vix
dinoscitur nisi ab eo ipso qui agit qui digiti pruriant et qui auxilientur — lleu
prurientibus. Ad. En toto animo adsum. nam ista me similitudo intentissimum
fecit. Aug. Verba certe sono et litteris constant. Ad. Ita est. Aug.
Ergo ut ea potissimum auctoritate utamur quae nobis carissima est. cum ait paulus — Paulus
apostolus. Non erat in Christo est et non sed est in illo erat. non opinor putandum esse
tres istas litteras quas enuntiamus cum dicimus est fuisse in Christo. sed illud po
tius quod istis tribus litteris significatur. Ad. Verum dicis. Aug. Intellegis igitur
eum qui ait est in illo erat nihil aliud dixisse quam est appellatur quod in illo
erat. tamquam si dixisset virtus in illo erat. nec duas istas syllabas enuntia
mus cum dicimus virtus. et non illud quod his duabus syllabis significatur in illo fu
isse arbitraremur. Ad. Intellego et sequor. Aug. Quid illud nonne intel
legis etiam nihil interesse utrum quisque dicat virtus appellatur an vir
tus nominatur. Ad. Manifestum est. Aug. Ergo ita est manifestum est nihil
interesse utrum quis dicat est appellatur an est nominatur quod in illo erat.
Ad. Video et hic nihil distare. Aug. Iamne etiam vides quid tibi velim os
tendere. Ad. Nondum sane. Aug. Itane tu non vides nomen esse id quod
res aliqua nominatur. Ad. Hoc plane nihil certius video. Aug. Vides igitur
est nomen esse. siquidem illud quod erat in Christo est nominatur. Ad. Negare
non possum. Aug. At si ex te quaererem quae sit pars orationis est. non opinor
nomen sed verbum esse diceres. cum id ratio etiam nomen esse docuerit. Ad.
Ita est prorsus ut dicis. Aug. Num adhuc dubitas alias quoque partes oratio
nis eodem modo quo demonstravimus nomina esse. Ad. Non dubito quando quidem
fateor ea significare aliquid. si autem res ipsae quas significant quid

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. AA 90.18, 2r – Augustinus, De magistro
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-20r2/5297/50310)